

pertigit. Cum rem accuratius considerarem, in eo tractu luminoso duos arcus paululum lucidiores reliqua claritate animadvertimus, quorum superior usque ad Stellam Polarem elevatus, alter infra priorem positus erat. Versus Horizontem hi duo arcus utrinque incurvati apparebant, ac si ellipses formarent, quorum pars inferior sub Horizontelateret. Sub arcu inferiori, versus horizontem, aër quasi nebulosus apparuit & plenus vaporum. In his apparentibus vaporibus nebulosis motus aliquis intestinus notabatur, & ascendebant ex iis radii quidam debiliores. Medium arcuum & totius Auroræ Borealis observavi circa Caudam Ursæ majoris, id est, 20 circiter gradus à Septentrione versus Occidentem. Post aliquod tempus Phænomeni claritas & motus remittebat, ac si Aurora hæc Borealis sensim evanescere vellet. Claritas tamen semper remanebat, quamvis sine notabili figura & motu. Hora 8. etiam nullos motus in ea observavi, claritas vero constanter permanebat.

Hora 9. cum admiratione conspexi versus Plagam inter Meridiem & occasum intermediam, tractum aliquem lucidum & admodum splendidum; cujus latitudo, quantum ex oculari æstimatione judicare potui, unam Diametrum Lunæ vix aut parum superabat, in longitudine vero per aliquot gradus se extendebat, & parallelus erat Horizonti. Infra hunc tractum, sive fasciam, cœlum caliginosum apparebat, cum tamen Saturnus distincte ibi conspiceretur. Tunc temporis Saturnus extitit 32. gradus à meridie versus occidentem. Ita ut pars hujus fasciæ lucidæ, quæ meridiano erat proxima, tantum 25. circiter gradus à meridiano abesse deberet. Altitudo ejus fuit 24. vel 25 gradus, lumen vero ejus ita splendidum, ut claritatem luminis borealis multum superaret. Paulò post, hæc fascia se versus occidentem extendebat, non tamen in linea recta, sed potius irregulariter incurvata versus horizontem. In ipsa plaga meridionali alia fascia latior, sed debioris luminis, oriebatur, & supra illam in altitudine 30. vel 40. graduum, quasi nubes quædam albicans, quæ tamen non erat vera nubes, ut ex ejus motu, aliisque circumstantiis apparebat. Denique, ex improvise, prior fascia lucida, cum sequenti fascia versus meridiem, circulum formabant Horizonti parallelum per totam circumferentiam cœli, qui tamen non ad accuratam perfectionem pervenit, & præterea parvæ durationis erat. Jam cœlum circa Zenith ab omnibus plagis quasi flagrare incipiebat, tenues ignes sive illuminationes hinc inde volitabant, eodem modo, ac si spiritus